

x Amos 2. 11. 12. & 4. 4. 5. & 5. 22. 23. & 8. 3. 5. 10.

y Amos 7. 13. 2. Amos 5. & 8. 14.

z Amos 7. 9. b Gen. 25. 25.

e Osee 6. 8.

d Gen. 31. 41. 46.

c Osee 4. 15. & 10. 15.

f Osee 12. 11. g Osee 5. 1.

h Osee 1. 4.

i Osee 4. 1. 2. 3. & 13. 1. 2. & c.

\* 4. Reg. 10. 32. in diebus illis cepit Dominiis cadere super Israel.

scripta (x) in Israele observari; uti inaugurationem Nazareorum, solutionem primitiarum, & decimarum oblationes, varii generis sacrificia, Cantica Domini, Festorum & Sabbati observationes. Ceterum effugis licentia regnabat, edita loca & peregrinationes superstitiosae frequentabantur. Præter Dan & Bethel, (y), celebratur Bersabee (z), quam urbem jure armorum Rex ditioni suæ adjunxerat. Nota sunt etiam excelsa Isaac [a], quem locum olim Patriarcha erecto Altare consecraverat, & loco implantaverat (b); peregrinationes etiam obibant in Maspham urbem transjordanam, in montibus Galaad (c), fœdere inter Jacob & Labanum iſto, erectoque à Jacob eâ de re monumento (d) nobilem; in Galgal (e), sedem olim populi sub Josue, & deinde vitulorum aureorum Osee ætate (f), in Thaborem & Carmelum (g); ac tandem in omnes montes Israel erectis Aris consecratos.

Zacharias post illum Rex, & generis Jehu postremus, vestigia Patrum suorum ita tenuit, ut omnia præter cultum Baal permitteret. Sanguis olim à Jehu in valle Jezrahel effusus, in ipsum totamque Jehu familiam recidit (h). Sellum enim illa exterminio deleta rerum potitus est; ex quo demum tempore impunè licentia in Israele discurreit, omniaque ad homicidia & intestina bella converti visa sunt (i). Neque morum totiusque Regionis corruptioni addi quidquam poterat in tantum, ut criminum horrore veluti provocatus Deus (\*) populum suum dederit in manu Regum Assyriæ, qui regionem orbemque Samariæ vastantes, populum in Transsephratæam captivum deduxerunt.

Horum malorum, quæ Divinam in caput Israelitarum ultionem provocarunt, imaginem ita depingit 4. Reg. 17. 8. & c. Et ambulabant juxta ritum gentium, quas consumperat Dominus in conspectu filiorum Israel, & Regum Israel, quia similiter fecerant; & offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, & edificaverunt sibi excelsa in cunctis Urbibus suis à Turre custodum usque ad civitatem munitam. Feceruntque sibi statuas, & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum; & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas transfulerat Dominus à facie eorum: feceruntque verba pessima irritantes Dominum, & coluerunt immunditias, de quibus præcepit eos Dominus, ne facerent verbum hoc. Et testificatus est Dominus in Israel & in Juda per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: Revertimini à viis vestris pessimis & custodite præcepta mea, & cavetis, juxta omnem Legem, quam præcepi patribus vestris. Et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo, & abjecerunt legitima ejus & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes quibus contestatus est eos, secuti sunt vanitates, & vanè egerunt & secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum.

Novissima hæc tempora ita deplorat Propheta, quasi Regnum confusionis, abominationis, injustitiæ, violentiæ, Idololatriæ (k); nulla agendi regula, nulla proposita ut imitarentur exempla, quam Amari & Achabi. Optimi quique inter illos, & pessimi ita planè distinguebantur, quemadmodum rhonchus à spina. Dolus omnia tenebat, ut sinceritas, pietas, æquitas exulare cogerentur; quoscumque mali ultores timere debuissent, illos tamquam auctores ducesque sequebantur; mutuis insuper malis alter alterum provocabat, fovebat, tuebatur.

Ezechiel 2. 3. populum illum exhibit veluti in pravo obfirmatum, nullis persuasionibus corrigendum, fidei desertorem & prævaricatorem, qui à Domino desciscens, ultionem in se divinam jam inde ab initio provocaverat (l); qui Prophetarum & Dei vocibus surdas aures præbuerant, corde & fronte aenè averis omnibus resistebant (m); quorum regio omnibus Idololatriæ sordibus scatens, passim occurrentibus in editis quibusque locis ac memoribus, positis impietati & superstitioni mausolæis (n). Summam in ea, addit Ezechiel, obtinent auctoritatem Pseudo-Propheta, quorum verba auscultantur, cum interim Propheta Domini contempti neglectique jaceant, impij assentatorum laudibus foveantur (o): populus est tandem, cui nihil antiquius quam ut excusso Domini jugo, reseissoque sacro fœdere, arbitrio suo & voluptati vivat. Aeger est deploratus, cui frustra pharma adhibeas; gens polluta, quam non antea expiaveris, nisi postquam inter nationes dispersam infinitas prope modum poenas dare coegeris; uxor infidelis, omnibus finitimis populis, quorum illa scelera non æquare tantum, sed & superare studuit, prostituta (p); quæ tandem eò scelere devenit, ut infamiam suam scelera Gomorrhæ, Sodomæ & Aegypti minueret.

Jeremias 2. 10. 11. ad alias per orbem nationes Judæos remittit, ut dicant an unquam commissam sit, ut pristina religione desertâ, ad aliam externam accesserint; quod tamen ab Israele factum queritur, cum rejecto Domino fonte aque viventis, contractas sibi cisternas continendis aquis ineptas effoderit. Similes scemine perfrictæ frontis & prostitute, quæ obvia cuique totam se committit; vacca indomitæ, quæ contracto jugo petulans jacitat; Non serviam; vineæ manu Domini confita; quæ pro uvis labruscas ingrata produxit; Onagro indomito effreni, & brutali, in voluptates suas effuso; adolescenti malè morato, qui excusso correctionis & obedientiæ jugo audacior in patrem insurgit.

Ut intimius Prophetarum sensus pervadatur, atque oraculorum apud ipsos mens pateat, religionis in utroque Regno status sub oculis ponendus est. Eò enim vaticinia illorum omnia potissimè collimant; quod in causa, fuit cur nos unâ veluti serie ea componeremus, quæ apud Scripturam apertiùs de illo argumento traduntur ad ætatem Prophetarum spectantia.

k Mich. 1. 7. & 3. 1. 2. 3. & c. & 6. 16. & 7. 1. & c.

l Ibid. 3. 7.

m Ezech. 6. 3. & c.

n Ezech. 13. 16. & 14. 1. & c. & 20. 1. & c.

o Ezech. 21. 32. 33. & c.

p Ezech. 23.

DIS-



# DISSERTATIO

## DE IDOLOLATRIA ISRAELITARUM IN deserto, ac potissimum de Deo Rephan seu Rempha, ad Amos 5. 26.

**N**ISI apertissimo Scripturarum documento extra controversiam positum esset, Hebræos non semel tantum & per transitum, sed veluti de industria & consuetudine Idola coluisse in deserto, vix credulam mentem affirmanti addiceremus: ad eò res supra fidem videretur: unquam factum sibi persuaderet, ut sub ipsis Moyſis oculis, in conspectu Arce Fœderis, sub ipsâ nubis noctu duque protigentis umbra, inter media prodigia, Sacerdotes, Judices Dei Spiritu afflatos virosque studio Legis flagitantes, ac tandem invitis legibus, Idololatriam indidâ mortis poenâ vetantibus: quis, inquam, credat Idola secum tulisse populum, quibus cultum superstitiosum & sacrilegum impenderet? Hæc sanè quanquam supra fidem videntur, non dubiâ tamen fide credenda sunt post expressum Amos 5. 26. & à S. Stephano in Actibus Apostolorum 7. 43. confirmatum testimonium. Ita verò S. Stephanus illos compellat: *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Remphan, figurâs, quas fecistis, adorare eas.*

Quam olim contraxerant in Aegypto habitudinem Idola colendi, nec minâ nec prodigia nec legum severitas nec beneficia Domini excindere valuerunt (a). Cum Moyſes sub ipsam ex Aegypto egressum Hebræos alloqueretur, in ipso sermonis vestibulo illos hortatur: *Unusquisque offensiones oculorum suorum abiciat, & in Idolis Aegypti nolite pollui (b).* Frustra tamen ille. Adjecit Deus minas, ultionem suam tandem exerturum edicens; frustra etiam Deus. Quare ne obstinatos ultionis severissimæ exemplum poneret, sola gloriæ suæ & majestatis consideratio prohibuit. Ex Aegypto itaque veluti abstraxit evulsiſque juxta phrasim Ezechielis: *Ejeci eos de terra Aegypti; deducistis in desertum leges suas & mandata tradidit.* Verum ejus beneficiis pervicacius resistentes, murmure in illum non semel sublato, eò ultionem divinam adegerunt; ut non semel & iterum, sed decies sub ipso exterminandi ingratos limine constitueretur. Frustra nihilominus omnia. *Post Idola cor eorum grahebat (c).*

Vehementius etiam Idololatriam populi Dissert. Calmet. Tom. I.

lo in Aegypto versanti exprobat Ezechiel, prostituta scemine moribus populi sui scelerata comparans (d); semel enim abrupto pudoris fræno in Aegypto, totum se licentiæ ad eò commisit, ut in ultimòs excessus deveniret.

Alterum ejus rei testem omni exceptione majorem, de adoptato Numinum Aegyptiorum apud Hebræos cultu, excussoque in deserto obedientiæ Domini jugo, Josue cap. 24. 14. exhibemus. Sed frustra argumenta in eam rem congerimus, cum ipse Moyſes in Libris suis apertè loquatur. Quoties sublato murmure atque in apertam defectionem proruentes, querelas suas altè in Dominum extulerunt? Si Moyſes aliquo temporis spatio à castris abſtineat, statim aureus vitulus ad cultum præponitur (e). Propius ad regionem Moab accedentes, ad sacra Phogor invitati, certatim ruunt; dein luxuriæ crimine implicantur (f). Frustra Moyſes leges & edita congerit; extento illa collo abiciunt, certa pravam illum iniquitatis cursum, quem olim susceperant, nullâ interjectâ morâ prosecuti, prava cordis sui vota vel ipso invito Deo expleturi. Edicto cavet Moyſes, ut victimæ omnes præ foribus Tabernaculi sistantur (g); nec alibi quam coram Domino victimæ illæ mactentur, quarum sanguis in ipsa Ara offeratur; edicit ne ultra immolentur hostia Damonibus (Hebr. Pilosis) cum quibus fornicati sunt. Hæc autem omnia capitalia decernit: *Interibit de populo suo. Quid autem populus? Et portastis, ait Amos 5. 26. tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sidus Dei vestri.*

Toto quadraginta annorum, quo in deserto errarunt, spatio, arbitrario quodam, vel si malueris, irreligioso politia genere usi sunt. Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? ait Amos 5. 25. Non sum locutus cum Patribus vestris, ait Dominus per Jeremiam cap. 7. 22. *Et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustorum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus. Tandem Moyſes sub ipsum vitæ suæ exitum ita affatus est Israelitis (h): Non facietis ibi (in terra promissionis) qua*

d Ezech. 1. 2. 19. 20. 21. Videtiam Ezech. 16. 26.

e Exod. 32. 4.

f Num. 25. 3.

g Levit. 17. 7.

h Deut. 12. 8.

Kkkk 2 nos

nos hic facimus hodie singuli, quod sibi vestrum videtur. Exploratum, est toto eo temporis spatio à Circumcisione & à Paschate celebrando, jam inde amotis à Sinai castris cessatum fuisse. Sacrificiorum etiam aliarumque caeremoniarum leges, quamquam in deserto late, alterius tamen temporis observantiam exigebant; neque in itinere executioni mandari poterant. Sed quenam hæc Numina Hebræorum in deserto? Ægyptiaca, uti facile credimus, quæ sanè poterant ex ea regione regressi & coluisse prius, & secum ad cultum devexisse. Aureus vitulus ad radices montis Sinai consecratus, ipsissimus erat Apis celebratissimus in universa Ægypto Numen, quemadmodum communi suffragio recepta opinio tenet. Sed altioris indaginis sunt ea, quæ supra ex Amos retulimus, cujus Textus ita sonat ad literam: *Et portastis tabernaculum Regis vestri basi, vestrarum imaginum, sidus Dei vestri, qua fecistis vobis*; seu potius: *portastis Tabernaculum Regis vestri, Chevan imaginem vestram, & astrum Deum vestrum, qua fecistis vobis*. En Numina solemnè ritu circumlata, & sub tentorii reposita; sculpta simulacra, Astra, & Numen regià dignitate insigne; quod sanè Numen tanquam Regem suum cultores ejus agnoscunt, sub tentorio regio cultu ornato positum; & cum ab exercitu expeditio quædam paratur, solemnè pompâ delatum, eo planè ritu, quo olim Tabernaculum Domini & Arca in itinere per desertum à Sacerdotibus & Levitis gestabatur.

Ægyptiorum moribus constitutum est, ut Numina in plures classes distinguantur. Erant enim apud illos Idola in universâ eque regione venerationi exhibita; erant peculiaris regionis, sive Urbis (*i*). Inter hæc Numina, alia supremum, alia inferiorem ordinem tenebant, recepto Græcorum more, apud quos Dii superiores, & inferiores: *Dii minorum gentium*. Hic ad cultum propositus Crocodilus, illic hircus, ovis, felis, ibis, corvus, suus etiam cultus igni, terræ, aquæ; occurrebant quandoque mortales in Numen consecrati, Isis, Osiris, Ammon.

Taurus, vacca, sol, luna, Osiris, Isis, eque omnibus Ægyptiis Numina erant communia, quibus parem fermè gradum obtinebant mortales in Deos consecrati, astra, & bruta; quæ facile omnia unum erant, idemque Numen, diverso tamen nomine ad cultum propositum (*k*). Ita Osiris primò colebatur tanquam Deus, qui in terra apparuerit; eidemque fati sancto, atque in Solem, quem ille veluti corpus ad arbitrium agebat, translato aras consecraverunt. Aliis verò subit in mentem, ut idem Numen taurino corpore adorarent; quod enim in universa regione pulcherrimum est, & utilissimum animal illud etiam dignum Deo contubernium arbitrati sunt (*l*). Ita unus idemque Deus multiplici Numine colebatur; quem spectasse Amos creditur, triplici illo, *Rex, vestra imago, sidus vestrum*, eundem Osiridem designans, seu quod idem est, vitulum aureum, Deum Apidem, Solem, Regem Osiridem.

Principem autem locum in universa ditione Numen illud tenebat (*m*), ut optimè Regis titulus apud Prophetam quadret. Israelitæ aureo vitulo in deserto consecrato acclamarunt: *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*n*). Veterum Patrum plerique caput tantum vituli vel tauri eâ occasione aris impositum crediderunt; quod facile designasse potuit Propheticum illud: *basim Dei vestri*. Maluerim ego tamen non tauri caput, sed integrum ejus simulacrum, sive hominem taurino capite ad cultum Hebræis propositum fuisse (*o*). Taurus Apis effigiem Solis fronti inscriptam gerebat [*p*], lunæ decrepescens ad latera; si quis fortè taurus hæc characteribus insignis apparuisset, continuò tanquam Rex Osiris eâ specie assumptâ iterum se spectandum præbuisset, aris & fociis colebatur.

Cum Hebræi Numen sibi constatum in ædiculis circumgestarent, omnibus planè illud characteribus insignitum voluisse credendi sunt, quibus & cultores conciliaret, & Solis speciem deceptis populis ingereret. Scitum est, in Ægypto moribus receptum, si alibi unquam, fuisse, ut Numina perpetuis emblematis, tanquam diversarum dotum eorumdem Numinum notis, insculperentur; rarumque est Ægyptium Idolum, quod sive capiti impositum, sive pedibus intratum, sive manu sustentatum certum quoddam animal non præferat. Ex Ægypto petita superstitio certum quoddam animal singulis Numinibus destinandi. Sed plus aliquid Ægyptii sibi arrogarunt; non enim singulis Numinibus animalia tantum, sed ipsa in Deos bruta consecrarunt, eâ persuasione ducti, Deos nimirum olim bruti figurâ assumptâ inter homines apparuisse. Hæc nobis probabilissima visa sunt, quæ de Numine à Judæis in itinere secum advecto disererentur; ratumque ex his manet, Deum illum ipsissimum fuisse Apidem, vel Solem in ædícula, vel basi impositum.

Solis figuram ita ab Ægyptiis expressam describit Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 20. 21. Simulacrum erat, impositum capiti modium gestans; seu mediâ capitis parte abrafum, levâ autem comatum; vel tandem animal triceps, in quo medium tenebat leoninum caput; hinc verò catellus mollis & festivus, inde lupus ferox & rapax. Sed in superioribus jam animadvertimus, expressum ab illis solem sub emblemate tauri, vel sub Osiridis figurâ; quare certò nunquam definiri potest, quam potissimum figuram Numen Hebræorum præferret, quando certò Solem exhibuisse constaret. Theologiæ hieroglyphicorum apud Ægyptios suæ erant leges, sive ad arbitrium, sive certo quodam consilio posita; sed omnia eâ de re incerta. Itaque & si nos in eam sententiam inclinemus, cultum scilicet à Judæis Taurum, & Solem, nihil tamen certi definitum volumus, sed eam opinionem selegimus tanquam omnium optimam, non tanquam certam.

Ex Ægypto etiam defluxit mos circumgestandi Deorum simulacra in tentoriis si-

m Diod. 1. 1. pag. 13. seu 19. Edit. Vechel. an. 1604. n Exod. 32. 4.

o Vide dicta in Comment. ad Exod. 32. p Herod. 1. 3. c. 28.

q Spencer. 1. 3. de Legibus Hebr. Ritual. Dissert. 1.

r Philo Bibl. apud Eusebium Prepar. 1. 1. num. 10.

s Curtius lib. 4.

ve in curribus, in lætolorum formam instratis. Amos author est, delatum ab Israelitis Regem suum sub tentorio; ex quo Tabernaculum Domini Dei Israel originem suam retulisse Scriptorum nonnulli (*g*) opinati sunt; rati Moysen, ut aliquid genio populi sui Ægyptiorum moribus assuetum indulgeret, tentorium illud magnifico sanè opere parasse, ut sedem dignam constitueret Arce Domini Israel in medio populi sui regnantis. De more gestandi in humeros Idola leges Isaiam 46. 7. & Baruch. 6. 3. 25. Plerumque pretiosi operis velis vel umbellis protegebantur.

Meminit Herodotus lib. 4. consuevisse die quodam Festo Isis simulacrum curru quatuor rotarum, quem Sacerdotes traherent, vectum circumduci. In publica quadam supplicatione geminos aureos canes accipitrem, & ibim delatos S. Clemens Alexandrinus Strom. 1. 5. est author; & in Protrep. verba Menandri laudat, Deos istos cen erraticos fuggillantus, qui neque loco manere, neque Templum suum tutari possent. In loculo, cui viri humeros subdebant, circumlatum Jovem Heliopolitanum in Ægypto, eo planè ritu, quo Romani Deos suos in pompa Circi efferebant, & nos Sanctorum loculamenta, apud Macrobius Saturn. 1. 1. legimus. Agrotum Phœnicum Numen insigne, in ædícula testâ collocatum, curru à jugalibus circumvectum narrat Philo Biblius (*r*); & Servius ad Æneid. 6. author est, minutissima quadam Numina apud Ægyptios & Carthaginienses velatis curribus devectora, ex motu vectoribus impresso oracula edidisse. Nec ab his omnibus Ammonis oraculum ablusisse ferunt (*s*); namque Sacerdotum humeris deferebatur Numen referens à capite ad usque umbilicum arietem, & fuscillæ cuidam, unde argentæ plures patere sive argentæ lances pendebant, impositum; pro vario autem motu fuscillæ impresso, de Numinis favore bonum malumque augurium à Sacerdotibus captabatur.

Veteribus Germanis, ait Tacitus de Mor. Germ. latens quadam Dea colebatur in sacro sibi luo Insulæ cujusdam Oceani residens, cujus Numini testus currus, quem propius scrutari omnibus præterquam Sacerdoti nefas, dicatus, geminis vaccis trahebatur. Porro Sacerdos tempus observat, quo Dea currum illum geminis trahendum subit; tum Numinis religione plenus pompam comitatur. Ubique currus ingentis solemnitate apparatu, publicæque letitiæ significationibus excipitur. Postquam verò iter suum confecerit, lucum repetit, quasi mortalium commercii pertesa; statimque currus, & currum protegens velum, quin & Dea ipsa in lacu quodam immerguntur, mancipiorum operâ lavanda. Mancipia post confectum opus statim demersa. Ex his omnibus ingens adeo religio gentis illius animos tenet, ut ne videre quidem abque mortis discrimine mysteria illa sibi fas esse autument.

Sulpicius Severus 1. 1. de Vit. S. Martini narrat de Gallis quibusdam rusticis, eos Si-

mulacra Damonum candido testâ velamine miserâ per agros suos circumferre dementiâ. Hanc facile similitudinem referebant tentoria illa, testâ ædiculæ, læti, sive gestatoria Tempia, quæ Israelitis iter habitibus per desertum Amos exprobravit.

Hebræorum nonnulli (*\**) tuentur, vocem *Siccuth*, quam nos reddimus tentoria, Idolum quoddam designare; nec facile alter est Deus ab illo, quem 4. Reg. 17. 30. *Socoth-Benoth* appellat; & nos de Venere interpretamur. Sed opinionis hujus autoritas minor est, quam ut aliam huc usque assertam sententiam rejiciamus.

S. Hieronymus in Amos 5. 26. in ea est sententia, Hebræos toto itinere per desertum tempore, Sacrificia non Domino quidem, sed Moloch, cujus Numen & tentorium unâ secum ferebant, obtulisse. Adit insuper, Deum illum nomine *Astri*, *Sidus Dei vestri*, designari; Astrum verò ipsum esse *Luciferum* sive matutinam stellam; cui Sarraceni ad eam usque ætatem prosternerantur. Quæ si vera sint, ex Arabibus deductum esset Numen, quam regionem tenebant tunc Hebræi, non ex Ægypto, unde jam pedem retulerant.

Septuaginta, Aquila, & Interpretes plerique in nomine *Melchom* sive *Moloch* Deo Ammonitarum, cum S. Hieronymo convenientes, Numen illud ad Saturnum, non ad stellam matutinam referunt. Horum conjecturæ favet, quòd Moloch non secus ac Saturno humanis victimis litaretur. Moloch ab Ammonitis populis Arabiæ, quam tunc regionem tenebant Hebræi, finitimis colebatur. Neque ignotum fuisse Hebræis Numen ex lato Moysis edicto, cavente ne filii Moloch sacris per ignem traditi initiarentur (*t*), intelligimus. Constat tamen Hebræam legere *Melchobem* Regem vestrum, non *Moloch*; sicut neque Moloch sive Melchom Numen esse Ægyptium. Prestat igitur, priorem sententiam de Osiride teneamus.

Quòd S. Hieronymus reddidit, *imaginem Idolorum vestrorum*, *Sidus Dei vestri*, in tota Prophetæ sententia operosissimum est. Ea versio exactissima est & ad literam, sed non omnes eodem sensu dictum interpretantur. Alii suspicantur totum locum *Moloch, imaginem Deorum vestrorum, Sidus Dei vestri*, idem variis synonymis repetitum exprimere; statuat nempè Saturni, insculptam præferentem imaginem astri, eidem Numini consecrati, ipsique in sedem assignati.

Alii tria Numina iis verbis insinuata malunt: 1. *Moloch* vel Osiridem, 2. *Saturnum*, 3. *Astrum*: qualem? incertum. Cur autem in expositione ejusdem loci adeò torquerentur, & variis ambagibus obvolventur Commentatores, in causa fuerant Septuaginta, vocibus ejusdem Textus immutatis. Namque in verso verborum ordine reddiderunt: *Sidus Dei vestri Rephan & imaginem eorum, qua fecistis vobis*. Porro Deus ille Rephan, sive Remphan, vel Romphan, doctissimos Criticos exercuit; & res est tam multis Scriptoribus exagitata, ambigua nihilominus adhuc & incert-

\* Vide Hebr. Varabl. Munster.

t Levit. 18. 21. Et 20. 2. 3. 4. 5.

i Herod. 1. 2. c. 42.

k Vide Diodor. 1. 1. pag. 7.

l Diod. 1. 1.